

humani generis ruina occasionem præbuit. Primum igitur, ut a præstantissimo divinæ bonitatis opere initium capiamus, hinc dominicæ incarnationis & passionis mysterium occasionem fumpfit. Si enim homo non peccasset, filius Dei, ut plerique sanctorum patrum tenent, minime humanam naturam inexplicabili ratione sibi copulasset; certe nullo modo crucis supplicium pertulisset. *Tolle, inquit Augustinus, morbos, tolle vulnera, nulla erit medico veniendi causa.* Hoc autem opus, sive dominicæ passionis, sive incarnationis, tale ac tantum existit, ut nec per divinam quidem potentiam majus aliquod effici potuerit. Denique si mille mundos, immo si infinitos mundos ad hanc sacratissimam Christi humanitatem conferas, nihil erunt: nec omnes isti, quamvis multi ac mirabiles essent, tantum immensam Dei bonitatem, misericordiam, justitiam & providentiam declararent, quantum hoc opere perfectum est. Quin etiam mundus ipse per incarnationem Christi tantam dignitatem obtinuit, ut conditor ipse, adjuncta sibi natura humana, hæc ex parte mundi pars esse voluerit. Præ-

terea, si homo non peccasset, sicut neque humanitas Christi, ita neque beata Virgo, quamvis fortasse existisset, Christi mater futura fuisset: atque ita defuisset mundo hæc summa dignitas; & margarita pretiosa, quæ cunctas illustrat ecclesias, quæ supernorum civium gaudia cumulat, quæque divinæ bonitatis, & omnipotentis gratiæ virtutem, puritatis & innocentia suæ nitore, maxime declarat. Quid enim mirabilius ea puritate ac sanctitate, quam in sexu adeo fragili divina gratia operata est? Hæc igitur duo clarissima mundi luminaria, (a) luminare videlicet majus, ac minus, hoc est, Christi humanitas, & ejus mater sanctissima, in cælo defuissent, si humanum genus minime corruisset. Qua de causa ecclesia & felicem culpam, & necessarium prædicat Adæ peccatum; quod tantis mysteriis occasionem dedit.

Adde etiam mirabilem sanctorum varietatem, quæ non modo præsentem, sed futuram etiam ecclesiam maxima donorum gratiarumque varietate honestat & ornat. Perfectum enim corpus ex diversis membris constituitur: perfectaque

re-

(a) *Genes. 1. 16.*

resp. ex dissimilibus partibus constat: melodia vero ex dissimili vocum varietate resultat. Quæ enim in corpore species esset, si membrorum varietate careret? Quæ reip. facies, si unus civium ordo in ea existeret? Qualis vero esset vocum concentus, si eundem voces omnes tenorem retinerent, nullaque varietatis gratia aures mulceret? Si igitur homo lapsus non fuisset, unus tantum conjugatorum religiose Deum colentium, filiosque sine libidinis furore generantium in mundo ordo esset. At lapsus ille, quamvis & dolendus & miserandus, divinæ tamen providentiæ beneficio variis in ecclesia sanctorum ordinibus occasionem dedit. Si nullum enim peccatum existisset, ubi tunc propheta? ubi patriarcha? ubi apostoli & evangelista? ubi triumphalis innumerabilium martyrum victor exercitus? ubi gloriosus confessorum numerus? ubi sancti pontifices? ubi divinæ legis doctores? ubi monachi & eremita? ubi virginum & continentium chorus existisset? Defuisset igitur hæc tam miranda ecclesiæ varietas, quæ ejus maxime pulchritudinem illustrat, divinæ-

que gratiæ virtutem mirifice declarat. Hinc vates regius: (a) *adstitit, inquit, regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Qua, inquam, varietate? Certe ex multiplici sanctorum ordine, & omnis generis gratiarum atque virtutum abundantia. Quam quidem varietatem vestis illa Joseph, qui figuram Domini Salvatoris gessit, expressisse videtur, quæ (b) *polymita*, hoc est, diversorum colorum, fuisse dicitur: quibus mirabilem hanc ecclesiæ varietatem præsentabat.

Hæc autem sanctorum diversitas, dictu mirum est, quanto opere divinam sapientiam, providentiam, bonitatem, atque cælestis gratiæ potentiam declarat. Ex qua quidem gratia, tam stupenda sanctorum opera, labores, certamina, virtutesque promanarunt, ut ipsos etiam beatarum mentium ordines in admirationem inducere potuerint: sicut Apostolus de laborum magnitudine, quos in evangelii predicatione sustinebat, ait: (c) *spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus.* Quæ quidem res & divinæ gratiæ virtutem maxime conspicuam facit, & piis ad

R 2

vir-

(a) *Psalms. 44. 10.* (b) *Genes. 37. 3.* (c) *1. Corinths. 4. 9.*

virtutis studium, tot præclarissimis exemplis ante oculos positus, stimulos addit, & improbis omnem negligentiam excusationem adimit. Quis enim carnis fragilitatem, & naturæ imbecillitatem in excusationis suæ velamen obtendere poterit, qui videat tam multa sanctorum millia, qui, eadem carnis fragilitate pressi, eadem communis peccati labe infecti, in eodemque mundo degentes, & ab eisdem hostibus impugnati, tamen divinæ gratiæ ope, quæ omnibus in promptu posita est, adjuri, tam mira opera designarunt, tam immanes labores & cruciatus pertulerunt, tam acerbum & durum bellum corpori suo & cupiditatibus ejus intulerunt? Qua fronte ego divinæ legis onus, & obedientiæ laborem caulabor; quum tot videam naturæ meæ consortes, præter divinorum præceptorum obedientiam, tam ingentes labores sponte subiisse?

Quæ vis autem orationis singulorum ordinum virtutes, labores, contentiones, & singularem caelestium donorum pulchritudinem, cum summa varietate conjunctam, explicare valeat? Quid hic prophetas me-

morem apostolorum patres, qui, terrenum nihil in hoc mundo quærentes, tanto divinæ gloriæ studio incensi fuerunt, ut nuda corpora gladiis & lapidibus furentis populi objicientes pro gloria Domini contra ejus peccata dimicarent? Omnium enim illa vox erat: (a) *zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel.* Denique hi sunt, de quibus Apostolus ait: (b) „alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, fecti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in meloris, & in pellibus caprinis, egeni, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Apostolorum vero sanctitatem, caritatem, divinæ gloriæ studium, abundantiam gratiæ, ingentem illam ad patranda miracula facultatem, quis pro dignitate queat explicare? quorum non modo (c) sudariis & semicinctiis, sed etiam (d) umbris, inviolabiles naturæ leges cedebant. Horum vero, propter fidei dilatandæ, & ecclesiæ constituendæ amorem, quales fue-

(a) 3. Reg. 19. 10. (b) Hebræor. 11. 36-38. (c) Actor. 19. 12.  
(d) Actor. 2. 15.

fuere labores! De ipsis namque omnibus Paullus ait: (a) *usque ad hanc horam esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, (sive, ut alii verterunt, incertis vagamur sedibus) & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimur: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam pergamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Sed hæc summam in priori ad Corinthios epistola. At in posteriori, dum suos numerat labores, coapostolorum etiam suorum agones commemorat, qui, simili studio in simili causa adversus mundum decertantes, similes labores pertulerunt; quos statim enumerat his verbis: (b) *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c.* quæ sequuntur. Videte, quæso, quam multis incommodis apostolica professio exercita fuerit atque probata.

Quibus vero vos predicem laudibus, ut verbis utar Cypriani martyris, *fortissimi milites Christi? Robur pectoris vestri, & perseverantiam fidei, quo*  
Tom. III.

*praconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriæ durissimam questionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Insuperabilem fidem superare non potuit frequens plaga diu repetita; quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei non jam membra, sed vulnera.* Denique ait: *finem doloribus, quem tormenta non dabant, corona dederunt.* Et quidem in hoc exercitu glorioso multa sunt admiratione dignissima. Primum enim tam est exercitus hic numerosus, ut astra cæli superare videatur: quum aliquando sex mille martyres interfecti, aliquando decem mille patibulis affixi; aliquando undecim mille simul virgines trucidatæ, quandoque vero integræ civitates ferro & flammis absumptæ fuerint. Quum enim Romanorum imperatores, qui nascentem Christi ecclesiam funditus evertere nitebantur, totius pæne orbis ditionem tenerent, atque eorum jussu persecutionis procella crudeliter ubique sæviret; nulla erat mundi regio, nulla civitas, nulla insula, nullus pæne angulus, qui non mar-

(a) 1. Corintb. 4. 11. 13. (b) 2. Corintb. 11. 23.

tyrum sanguine tingeretur. Itaque totus Oriens & Occidens, Asia, Africa & Europa, quæ tres orbis præcipuæ partes numerantur, glorioso martyrum cruore consecratæ sunt; nullaque mundi regio est, quæ suos non extollat martyres, eorumque triumphis gloriatur. Nec minor personarum, quam locorum, varietas existit. Non solum enim viri, sed etiam femina; non modo senes, sed & juniores ac teneræ virgines; nec solum ignobiles & infimæ conditionis homines, sed nobiles etiam, qualis Catharina fuit, Costi principis filia, quæ rotarum tormenta superavit. Nec tantum illitterati & rudes homines, sed viri sapientes, & in omni genere doctrinarum excellentes. Denique omnis ætas, omnis sexus, & omnis ordo, ad necem & supplicia quærebatur. Nec minus mirabilis tormentorum numerus & varietas. Quot enim martyres, tot fere tormentorum genera excogitabantur; & ut D. Cyprianus ait, *ad hominis corpus unum supplicia plura quam membra erant*. Quæ quum ita sint, qualis, quæso, cælestis illa curia erit, tot sanctorum meritis, totque innumerabilium

martyrum illustrata triumphis? Vere non tam cælum sideribus, quam superna illa civitas tot martyrum coronis redimita splendescit.

Quid vero sanctissima confessorum agmina commemorem? quorum alii ecclesiæ doctores & magistri fuerunt, qui, sanctarum scripturarum studiis addicti, atque (a) *in lege Domini meditantés die ac nocte*, favos nobis divinarum eloquiorum propinarunt; alii vero ecclesiæ duces, defensores fidei, morum doctores, fideique adversus hæreticos acerrimi propugnatores existere. Quos vero labores non pertulerunt, dum inviolatam ecclesiæ fidem, castumque ipsius pudorem conservare niterentur? Quod odium? quam invidiam? quas infestationes Basilii, Chrysostomus, Ambrosius, Hilarius, ceterique patres, propter fidei atque justitiæ defensionem, non sustinuerunt? Quas non mundi oras peragravit Athanasius, cum ab imperatore Arriano ad necem quæreretur? Denique sex annos continuos in cisterna sicca sine Solis adspectu latuit, amico quodam clam ei necessaria ministrante. Quod, quæso, mar-

(a) *Psal. 1. 2.*

martyrii genus cum his tenebris & hoc carcere valeat comparari? Alia vero exorta tempestate compulsus est, quattuor menses in paterno sepulcro inter mortuorum cadavera latitare. Quis tale umquam martyrii genus aut vidit, aut legit?

Jam vero anachoretas illos in vasta solitudine commorantes, solisque herbarum radicibus victitantes, divinarumque rerum contemplationi perpetuo vacantes, quantum puritatis & innocentiae suæ candore supernam illam civitatem exornant! Quis Paullum eremitam, Arsenium, Hilarionem, Macharium, Simeonem Stilitem pro meritis commendare queat? E quibus sanctus Hilarion, auctore Hieronymo, quindecim annos natus, eremum petiit, cellaque paullo plus quam pro magnitudine corpusculi exstructa, super nudam humum, juncis dumtaxat stratam, tota vita decubuit; quindecim tantum caricis post Solis occasum victitans, tempus omne in rerum divinarum contemplatione insumebat. Quid hic ad vitam angelicam desideres amplius? Tolle hinc corporis commercium, tolle quindecim caricarum alimoniam, & pæne angelum in

homine videbis, qui, divina semper atque cælestia in corpore versans, angelorum officium exercebat in terris. Quibus ergo virtutum gemmis illam cælestem aulam tot sanctorum anachoretarum & monachorum turmæ illustrabunt, qui cœtus hominum deserentes, angelorum in terris vitam meditati sunt?

Quis autem virginum gloriam silentio præterire possit, quæ, in carne non secundum carnem viventes, virgineam puritatem ad extremum usque vitæ diem intemerato pudore conservarunt? Jactent quantum volent Gentiles Lucretiam suam, quæ honoris magis quam pudoris rationem habuit: quæ adulterii atque pollutionis suæ vindex effecta, duorum se criminum ream fecit. Nos pro una Lucretia innumerabiles virginum choros, quæ potius ferrum & ignem, atque omnia pœnarum genera perpeti, quam integritatis suæ jacturam facere, maluerunt. Quarum multæ, oblata principum & regum connubia respuentes, mundi que gloriam & opes ejus omnes adspernantes, candidissimum agnum in cælo sequuntur, quocumque ierit, dicentes: *regnum mundi, & omnem or-*

natum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu-Christi, &c. Hoc igitur tam multiplici ornatu, ut ad propositam quæstionem redeamus, hac tam mirabili & consona varietate cæleste regnum caruisset, si primum illud peccatum defuisset.

Adde etiam mirabilem aliam Dei atque hominum justorum laudem, cui antiquus ille generis humani lapsus occasionem præbuit. Quis enim non videt, quanto sit mirabilior hominum sanctitas atque justitia in hoc naturæ lapsæ statu, quam in illo fuisset? In illo enim, quum natura hominis originalis justitiæ dono incorrupta & integra esset, & sponte sua sine ullo impedimento ferretur in bonum, nihil erat negotii, virtutem amplecti, & in ea persistere; non magis quam aut piscibus natate, aut avibus volare: ceterum ubi per peccatum originalis justitiæ donum amisimus, & humana natura, peccati veneno infecta, ad peccatum proclivis effecta est; ad virtutem pristinam conari, & sanctitatem illam, natura lapsa reluctante, retinere, & lascivientes atque effrenatos animi impetus & motus,

rationis imperio cohibere, adeo mirabile est, ut, quamvis audacter hoc dictum esse videatur, mirabilior mihi in hoc statu unius martyris aut confessoris sanctitas appareat, quam omnium simul electorum in illo exstitisset. Quo modo enim mirabilius est, unius fluminis aquam, natura obistente, in fontem recurrere, quemadmodum de Jordane (a) legimus, quam si omnia flumina pronò alveo deorsum ferantur; ita mirabilior hoc tempore unius viri sancti, quam tunc omnium hominum sanctitas, apparet: quum illud perinde esset, ac si aqua naturæ suæ impetu deorsum flueret; hoc vero perinde sit, ac si sursum versus natura refragante reflecteretur. Ut enim quis ad finem usque vitæ virtutem & pietatem inter tot tam varios hujus mundi turbines ac procellas retineat, quot labores, quot pericula, quot certamina subire necesse est? Quot precibus, quot vigiliis, quot jejniis, quot lacrimis a Domino sæpe auxilium adversus imminente pericula efflagitandum est? Quam vero speciosa est, ut Ecclesiastici (b) verbis utar, *miser cordia & providentia Dei in tempore*

(a) Josue 3. 13. (b) Eccli. 35. 26.

*calamitosa!* Tota autem hæc tam multiplex & varia humanarum mentium pulchritudo in admirationem & commendationem cedit divinæ virtutis & gratiæ: quæ (a) ex lapidibus efficit Abrahæ filios, & eos, qui de immundo semine concepti sunt, angelorum facit in terris vitam meditari. Quæ enim major divinæ virtutis & bonitatis gloria, quam quod per ejus gratiam ex morte vita, ex carne spiritus, ex terra cælum, ac demum ex homine quodam modo surgat angelus? Quo enim operis materia vilior, eo artificis gloria præstantior; dum id facit ex sordido luto, quod nisi ex auro fieri non potuisset.

*Peroratio.*

Sed jam tempus appetit, fratres, ut receptui canamus, & quid ex tam longa disputatione ad vitæ nostræ institutionem elicere possimus, vobis ante oculos ponamus. Primum igitur vidistis, quam multa & præclara bona divina sapientia & providentia, communis illius peccati occasione, in mundum importaverit; quibus & militantem & triumphantem ecclesiam mira varietatis & pulchritudinis specie

decoravit. Vidistis, quænam sit piis hominibus beatitudo & felicitas in cælis proposita; quæ non alia est, quam sempiterna summi & infiniti boni fruitio atque possessio: qua nihil, nec per divinam quidem potentiam, majus aut esse aut cogitari potest; quum eadem sit hominis, & ipsius summi Dei objectiva, ut appellatur, beatitudo. Vidistis, quibus itineribus ad hanc tantam felicitatem pervenitur: quæ Dominus in hodierna sancti evangelii lectione percenset. Vidistis etiam, quibus stimulis ac veluti calcaribus corda nostra ad hæc itinera percurrenda excitentur. Excitat enim primum nos propositæ mercedis amplitudo, quam audistis: quæ quidem status felicissimus est, omnium bonorum aggregatione perfectus. Excitant nos innumera sanctorum omnis generis exempla, virorum, mulierum, virginum, senum & juniorum; quibus nec sexus infirmior, nec tenera ætas, nec carnis fragilitas, nec mundi vanitas, nec dæmonum fraudes, nec communis peccati labes impedimento fuit, quo minus gloriosum de peccato, mundo, & principe mundi triumphum

(a) Luc. 3. 8.

phum duxerint. Postremo excitat nos etiam divinæ gratiæ admiranda vis : quæ facile in præclarissimis sanctorum gestis atque virtutibus elucet, & quæ nulli mortalium, pietate atque suppliciter illam quærenti, interclusa est. His igitur stimulis vos ego, fratres, non ad carceres & vincula, non ad unguilas & equuleos, non ad verbera & craticulas, quæ sancti martyres propter eandem, quam nos petimus, coronam perpessi sunt, excito: sed ad caritatem, ad pacem, ad justitiam, ad pietatem &

religionem, ad castum Domini timorem, ad vitiorum fugam, ad sollicitam cordis orationisque custodiam, ad cupiditatum vestrarum intemperantiam rationis imperio comprimendam. Ad quæ omnia vos ipsum legendi orandique studium, & frequentior sacramentorum usus, miro modo juvabunt. His igitur planissimis itineribus gradientes, ad sempiternam tandem sanctorum, quorum hodie sollempnia celebramus, societatem & gloriam, adspirante divina gratia, pervenire licebit.



IN

\* \* \* \* \*

IN F E S T O  
ALICUJUS SANCTI MARTYRIS  
CONCIO PRIMA,

IN QUA PER VARIOS LABORES ad caeleste regnum, sanctorum martyrum exemplo, perveniendum esse docetur: deinde laborum causæ explicantur: tertio vero loco, quibus rebus ad hos labores superandos instrui & armari possimus, declaratur.

*THE. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. XVI. 24.*

\*\*\*  
\* I \*  
\* \* \*  
Nter omnia, quæ humani ingenii vis studiose & laudabiliter quærere & indagare potest, nihil est quod vel honestius, vel utilius quæramus, quam quænam via sit, per quam ad æternæ felicitatis gloriam pervenire valeamus. Si enim creaturæ omnes nihil aliud agunt, nihil moluntur, quam ut ad fines sibi a conditore constitutos perveniant; in eoque maxime omnem laborem & operam ponunt: quid, quæso, nobis aliud quærendum, quid faciendum est, qui ad hunc finem a Deo facti &

informati sumus? Si hoc unum præstamus, plenissime officio nostro functi sumus: si vero sine hac una re cetera omnia adipiscamur, etiam si totius orbis imperium nacti erimus, frustra nos conditos, frustra in lucem editos, frustra denique vixisse sciamus. Frustra enim est, ut philosophi dictitant, quod ad finem sibi præstitutum non pervenit. Si quis igitur ab hoc tanto malo immunis esse, si quis ad finem suum pervenire cupit, hoc est, unum illud & summum bonum, ad quod fruendum a Deo conditus est, adipisci; habet in paucis his  
Do-